

A M P L I S S I M O

Prudentissimoque Senatui Inclitæ Repub: Ra-
tisonensium, benignissimis Dominis, Ste-
phanus Consul Pinguentinus Chiens & ex-
ul, humiliter optat Gratiam, Pacem, Incolu-
mitatem & foelicem gubernationis Succes-
sum, à nato Christo Emanuele:

Quam Paulus prædixit fore interitionem Antichristi in Templo Dei,
spiritu oris Christi, eam facta Diuinitus reuelatione Euangelij, cœ-
ptam in regno Papæ per orbem Christianum, euidencia rei demon-
strat. In regno Turcarum fore ruinam similiter prædixit Dani-
el, & Iohannes in Apocalypsi: Et simile quod in ore Turcarum
inter ipsos fertur, Vbi cum Mahumetes regnet alter Antichristus,
quasi extra templum seu orbem Christianum, verisimile est simi-
li armorum genere Christum hunc etiam aduersarium suum pe-
titurum simul ac iugulaturum, diffusis radijs lucis Euangelij,
in multos populos subiectos tyrannidi, Conclusos tenebris
& infectos blasphemis Mahumetane religionis. Congruuit huc
dictum Christi, quo etiam vaticinatur, Euangelium regni
esse prædicandum in vniuerso orbe, in testimonium gentibus,
ante consumationem. Atque hisce etiam spiritualibus armis pro-
pagandi Euangelij experiri in Turcos potissimum deceret
Principes Christianos, dum satis etiam diu pugnatum est con-
tra eos armis corporalibus, infeliciter satis. Hanc vero arma-
turam Dei, dum vos Incliti Senatores, beneficentia Vestra ad-
iuvistis hoc anno, in me alendo, qui versioni Bibliorum
aliorumque scriptorum didacticorum purioris religionis, im-
pressioni quoque idiomaticæ et characteræ Croaticæ, latissime
patente in medios Turcos, inuisigilo iam sæculo, Vna cum
chariss: fratre D. Primo Trubero Carniolano, Campidonen-
sis nunc Ecclesiæ Pastore (nec alij. n. inuenti sunt hæctenus,
qui illud tentarent) non dubium est, si opera hæc nostræ ad-
optatum peruenierint finem, quin Christo saltem complu-
res animas vindicaturi simus ex captiuitate Mahumetis.



Cuius fructus Vos Vestro loco vere eritis participes, et premia
nobiscum, quae ex Deo speramus, ab ipso feretis :

Vt ego tamen etiam pro his, quae ad me proprie pertinent, be-
nificijs hisce Vestris, & superioribus, quibus ex ulam me-
venientem in Germaniam inter operarios Schola Vestra
benigne recepistis, memoris animi testimonium aliquod
apud ipsam hanc Rempub: deponerem, offero, hoc ex
meis thesauris selectissimarum Cantionum insignis opus,
insigne inquam, si opus altimetur, non si minus altime-
tur, erga tantos Senatores, tamq; benemeritos. Quod
opus vt beneuolis animis accipiat amplitudo Vestra, & me-
measq; operas pro Euangelio in Turcos, commendatas por-
ro habeat, supplex oro: Ratispona iplis Calendis
Ianuarij. Anno post natum Christum. M D L X .

Laudate Dominum omnes gentes,

Laudate eum omnes populi : ~

Ἐπαινετε τὸν κύριον ὅσαι ἔθνη :

Ἐπαινετε αὐτὸν ὅσοι λαοὶ : ~

~ Ἄμην : ~